

concupiendi sunt.

EX HAC PORRO declaratione, & exemplis adductis, per spicuum relinquitur, duos predictos calorum motus, quorum vnus est ab oriente in occidentem, alter ab occidente in orientem, non esse contrarios, cum non simpliciter ad terminos contrarios, puta ad orientem, & ad occidentem fiant, vt explicauimus. Contrarij namq; motus re ferri debent ad vnum idemq; punctum fixum, vt videlicet vno motu ad illud punctum accedatur, & alio ab eodem recedatur, quod in motibus calorum minime fieri diximus. Dicuntur tamen isti duo motus communi loquendi modo contrarij, & oppositi, ratione terminorū contrariorum puta orientis, & occidentis. Mouentur enim simpliciter ad vnum horum, nempe ad occidentem, secundum quid vero ad alterum, videlicet ad orientem, hoc est, ad partes orientales, vt dictum est. Ex eisdem quoq; exemplis liquido constat, calos non modo super diuersos polos, & diuersam viam posse moueri, vt re ipsa mouentur; Verum etiam eos potuisse super eosdē prorsus polos, & per eandē viā reuerii ab occidente in orientem, per quam ab oriente in occidentem voluntur. Immo experientia didicerunt Astronomi, vnum & idem corpus caeleste moueri ab oriente in occidentem, & super eosdem polos ab occidente in orientem. Orbis .n. sphaera lunaris deferens caput, & caudā Draconis mouetur proprio motu (præter motū diurnū, qui fit super polos mundi) ab oriente in occidentem super polos Zodiaci, & super eosdē polos virtute celi Mercurij ab occidente in orientem defertur, vt in Theoricis planetarum declaratur. Causa tamen, cur per aliam viam, videlicet, per circulum Zodiacum, & non per eandē, nempe, per Æquinoctialem circulum; Itē cur super alios polos, nimirum Zodiaci, & non super eosdem, puta mundi polos (quæ tamen optime fieri potuissent) ab occidente in orientem ad sensū iam expositum inferiores sphaera reuoluantur; est secundum philosophos, gubernatio mundi, vt videlicet per accessum Solis, planetarumq; sub Zodiaco ad Boream, seu septentrionem, & ad Austrū, sine meridiē, diuersa contingant anni tempora ad varias rerum generationes accommodata, vt inquit Aristoteles 2. de Gener. & corrupt.

DE PERIODIS MOTVVM CAELESTIVM

DECIMUM calum, quod & primū mobile nuncupatur, vniformi, regulariq; motu, eoq; citatissimo, super mundi polos, & per circulum